

PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI  
AUTHENTICE INTERPRETANDO

# COMMUNICATIONES

VOL. XX - N. 2

---

1988

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS  
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1988

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu proprio datae <i>Ecclesia Dei</i> . . . . .	151
---	-----

## ACTA COMMISSIONIS

Responsum ad propositum dubium . . . . .	155
--	-----

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

I. Direttorio per la visita «ad limina» . . . . .	156
II. Decretum <i>Dominus Marcellus Lefebvre</i> . . . . .	166
III. Normae de Episcopis ab officio cessantibus . . . . .	167

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio III) . . . . .	169
II. Coetus studiorum «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio IV) . . . . .	214

## DOCUMENTA

De Iuris Canonici authentica interpretatione in actuositate Pontificiae Commissionis adimplenda . . . . .	265
The Personal Power of Governance of the Diocesan Bishop . . . . .	288
Opera a Commissionis Bibliotheca recepta . . . . .	311
Index Rerum Generalis . . . . .	313

## **Ex Actis Pont. Comm. C.I.C. Recognoscendo**

### **COETUS STUDIORUM DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO**

#### **Sessio III**

(Conventus dd. 21-26 octobris 68 habitus)

Diebus 21-26 octobris 1968, in aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC « De Magisterio Ecclesiastico ».

Conventibus intererant, praeter duos Exc.mos ac quattuor Rev.mos Consultores, Ill.mus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adjunctus, qui munere praesidis fungebatur, atque Rev.mus Nicolaus Pavoni, adiutor a studiis, qui actuarii munere fungebatur; praeterea aliis quibus conventibus intererat Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.

Non adfuerunt tres Exc.mi ac tres Rev.mi Consultores, legitime impediti.

Quaestiones, quas in hoc studiorum coetu tractandas proposuit Secretaria, sequentibus verbis enuntiatae sunt:

1) imprimis reconsiderandi sunt canones qui iam « de scholis » sunt praeparati, atque tractandae sunt aliae quaestiones « de scholis », de quibus submittitur schema canonum, secundum animadversiones in sessione 2<sup>a</sup> coetus (13-17 febr. a. 1968) probatas confectum;

2) deinde, si tempus suppetat, initium fiet cum recognitione legislationis « de Seminariis » (cann. 1352-1371).

## I

RELATIO SESSIONIS II<sup>ae</sup>  
ET CANONES DE MAGISTERIO IN GENERE

1) Relatio sessionis praecedentis ab omnibus approbatur.

2) Canones de magisterio et de ministerio verbi in genere iterum considerantur.

Approbantur canones 1322, 1322 bis, 1323, 1324 aliisque, de quibus mentio fit in relatione sessionis praecedentis, usque ad p. 8 (textus typis editus in *Communicationibus*, 20 [1988] 122-126); approbantur nempe cum mutationibus admissis.

*Ad can. 1333, § 3*, aliqua habetur dissertatio. Textus huius canonis 1333, § 3 est sequens: « Ut praedicare possint via radiophonica aut televisifica, requiritur ut clerici, sive saeculares sive religiosi, facultatem praedicandi a proprio Ordinario obtinuerint, utque praeterea servent praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta ».

a) Animadvertisit Rev.mus primus Consultor non omnes sacerdotes esse ad praedicandum via televisifica habiles, et ideo proponit ut habeant facultatem specialem ad hanc praedicationem.

Contrariam sententiam habent Rev.mi secundus Consultor et Secretarius Ad.: odiosum est requirere specialem facultatem, et res relinqua est iudicio Conferentiae Episcoporum.

b) Quaerit Rev.mus secundus Consultor utrum etiam laici habere debeant facultatem ab Ordinario. Ad eius mentem sufficit ut habeant rectam doctrinam et sint capaces praedicandi.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. locutionem « *praedicare* » esse nimis strictam, et dici posse « *sermonem facere de doctrina christiana* ».

Consentit Rev.mus primus Consultor, et admittit sufficere ut dicatur quod servari debent praescripta Episcoporum Conferentiae regionis.

Textus igitur can. 1333, § 3 proponitur sequens:

« *Ad sermonem de doctrina christiana faciendum via radiophonica aut televisifica, serventur praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta* ».

Textus aliorum canonum de hac materia approbatur.

II  
DISCEPTATIO DE SCHOLIS  
(cann. 1372-1383 CIC)

1) *De definitione scholae catholicae*

Quid intelligitur nomine « scholae catholicae »; hic ponitur quaestio de « schola catholica », et de eius definitione.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat illas dici debere catholicas quae uti tales saltem implicite ab auctoritate ecclesiastica agnoscantur atque sub vigilantia Episcoporum sunt. Censet scholas catholicas condit posse sive ab ipsa auctoritate ecclesiastica, sive a catholicis viris.

Rev.mus primus Consultor refert decretum de instrumentis Communicationis socialis (Cap. II, n. 14) ubi agitur de prelo catholico et expresse dicitur: « prelum etiam excitetur et provehatur veri nominis catholicum, quod scilicet – sive directe ab ipsa auctoritate ecclesiastica, sive a catholicis viris promotum et dependens... etc. ».

Exc.mus tertius Consultor censet scholam catholicam definiri per directionem scholae: sunt catholicae, scholae quas Ecclesia condit et regit secundum principia sua fundamentalia de educatione, et in quibus adsit ambitus spiritu evangelico imbutus.

Ad mentem Rev.mi secundi Consultoris non sufficit approbatio, quia sunt etiam scholae non-catholicae, quas Episcopi etiam pro catholicis approbant.

Exc.mus tertius Consultor putat fere impossibile esse definitionem de schola catholica tradere. Finis legislatoris est curandi ut in scholis educatio catholica tradatur. Aestimat a parentibus filios suos concrendos esse scholis in quibus formationi eorum christiana provideatur; in absentia harum scholarum, parentum esse curare ut pericula tali educationi inherentia avertantur utque extra scholas debite filiorum educationi christiana prospiciatur.

Rev.mus Secretarius Ad. respondit hoc esse verum, sed de facto existere scholas catholicas, de quibus ergo aliqua definitio in Codice tradenda est, aut de quibus mentio fieri debet in legislatione canonica.

Exc.mus tertius Consultor animadvertisit scholas catholicas illas esse quae sub vigilantia et administratione Sacrae Hierarchiae regantur.

Ad mentem Rev.mi primi Consultoris illae sunt scholae catholicae quae educationem christianam tradere curant.

Rev.mus secundus Consultor notat in Germania Ecclesiae esse ius scholas elementarias condendi, et tamen ratio studiorum in istis scholis eadem esse debet quam in scholis statalibus.

2) *Recognitio canonum qui iam « de scholis » sunt probati in sessione praecedenti*

*Ad canonem 1*

Manere potest uti est de omnium sententia.

*Ad canonem 2*

Paragraphi 1<sup>a</sup> et 2<sup>a</sup> placent omnibus uti sunt.

§ 3. Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut in ultima linea habeatur « aptius » loco « melius ». Placet.

Deinde ipse Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem ponit num in hac paragrapho plus dici debeat necne.

Rev.mus primus Consultor notat opportunum esse nihil aliud dicere et has affert rationes: ratio oeconomica: multi parentes non possunt propter rationem pecuniae scholas catholicae eligere; ratio pedagogica: multi parentes praeferunt scholas statales in quibus filiorum educationi sociali melius prospiciatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit novum textum paragraphi 3<sup>ae</sup>, qui, cum aliquibus suggestionibus Rev.mi secundi Consultoris, ita sonat:

« § 3. Parentum christianorum officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis eos participes facere, quorum opera formationi filiorum providere valeant, ideoque et eas eligere scholas in quibus iuxta locorum adiuncta et normas ab Episcoporum Conferentiis statutas, filiorum educationi christianaem melius prospiciatur ».

Concordant omnes de hoc textu.

*Ad canonem 3, §§ 1-2*

Rev.mus primus Consultor proponit ut loco « eosque » dicatur « omnesque ».

Consentient omnes de textu cum suggestione Rev.mi primi Consultoris.

*Ad canonem 4*

Rev.mus primus Consultor proponit ut tollatur prima phrasis « sicut quicumque... habilis », quia non videtur necessaria, itemque proponit ut loco « connexae sint » ponantur verba « intime connexis ».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut tollantur haec verba « ut-pote societas educationis tradendae capax » et aestimat utramque paragraphum in unam redigi posse.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat melius esse duas ideas separare et agere in § 1 de capacitate Ecclesiae, in § 2 vero de officio Ecclesiae, aut potius proponit ut, post verbum « pertinet » primae paragraphi, statim hoc modo adiungatur secunda paragraphus « ideo debet Ecclesia operam suam praestare... etc. », ita ut una tantum ex duabus paragraphis componatur.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut tollantur in § 1 verba « sicut quicumque hominum coetus... habilis », quia minus conveniens est comparatio inter Ecclesiam et quemcumque coetum.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit unam paragraphum canonis 4:

« Ecclesiae ius est operam suam adiutricem praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quae quidem ad patrimonium commune pertinent; immo quantum adiuncta id requirant, ipsius est officium operam suam praestare ut eis tradatur haec formatio in disciplinis terrenis, quatenus cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint ».

Placet hic textus omnibus et probatur.

*Ad canones 5, 6, 7*

Maneant uti sunt, de omnium consensu.

*Ad canonem 8*

Rev.mus quartus Consultor proponit ut vox « saltem » deleatur.

Consentient omnes.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut deleantur verba § 2 « iuxta normas ab auctoritate Ecclesiastica latas »; ratio est haec: in canonibus praecedentibus de hoc iam locuti sumus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc novam redactionem can. 8, § 1:

« Parentes, quantum possint (vel: quantum sinant adiuncta), filios concredant scholis catholicis, scholis scilicet in quibus institutio traditur quae spiritu doctrinae christiana, ut Magisterio Ecclesiastico definitur, sit imbuta, sive ab ipsa Hierarchia sint erectae, sive ab aliis sint conditae sed uti reapse catholicae ab eadem Hierarchia saltem implicite approbatae; quae scholae si deficiant, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianae providetur; praesertim iis quae iure particuliari, sive per conventionem Ecclesiam inter et societatem civilem inducto

sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse ».

Rev.mus primus Consultor approbat primam partem canonis. De secunda parte insufficientem eam esse declarat, quia mentio non fit de scholis in quibus formationi christiana non providetur.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet de hoc paragraphum secundam ipsius canonis tractare.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in can. 8, loco « sive ab aliis conditae », ponatur « etsi ab aliis conditae ».

Rev.mus Secretarius Ad. respondet melius esse « sive » quam « etsi », quia vox « etsi » est peiorativa et iniuriosa adversus scholas ab aliis conditas.

Rev.mus quartus Consultor quaestionem ponit de definitione et de nomine scholae catholicae relate ad ius quaestuandi: schola catholica ius habet ad quaestum faciendum. Multae sunt vero scholae a privatis conditae quae non possunt dici catholicae et tamen quaestum faciunt nomine Ecclesiae cum detrimento dioecesium. Propterea proponit ut quemadmodum in scholis statalibus discrimin fit inter scholas parificatas et scholas statales, eodem modo in scholis catholicis discrimin fiat inter scholas catholicae proprie dictas et scholas catholicas improprie dictas.

Rev.mus Secretarius Ad. non concordat cum suggestione Rev.mi quarti Consultoris. Ratio est: in Belgio et in Hollandia scholae catholicae non habent scopum lucri et saepe saepius a laicis diriguntur.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut verba « saltem implicite » deleantur.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat verba « saltem implicite » aut « saltem tacite » ponenda esse, quia in hac materia munus Hierarchiae non est primarium, sed subsidiarium.

Rev.mus secundus Consultor censet distinguendum esse inter scholas de iure catholicae et scholas de facto catholicae. Proponit ut in canone habeantur verba « saltem tacite approbatae », quia ita Episcopis datur facultas statuendi utrum aliqua schola sit catholica aut non.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat ut loco verborum « saltem implicite approbatae » adhibeantur verba « sint agnитae ».

Placet omnibus canon uti propositus est, sed cum emendationibus admissis. Qui canon igitur, uti probatur, ita sonat: § 1 huius canonis:

« Parentes, quantum id sinant adjuncta, filios concredat scholis catholicis, scholis scilicet in quibus institutio traditur quae spiritu doctrinae christiana, uti a Magisterio ecclesiastico definitur, sit imbuta, sive ab ipsa Hierarchia sint erectae, sive ab aliis sint conditae sed uti

reapere catholicae ab eadem Hierarchia sint agitae; quae scholae si deficiant, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianaem providetur, praesertim iis quae iure particulari, sive per conventionem Ecclesiam inter et Societatem civilem inducto sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse ».

§ 2 huius canonis 8 remanet uti erat, et ut iam approbata est.

*Ad canonem 8 bis*

Postea Rev.mus Secretarius Ad. proponit canonem 8 bis in quo, iuxta petita in praecedenti sessione, norma statui debet definiens officium Conferentiae Episcoporum et loci Ordinariorum praescripta ferendi pro parentibus qui certis in adiunctis filios concredunt scholis acatholicis.

*Canon 8 bis:* « Episcoporum Conferentiae, atque, earundem praescriptis attentis, locorum Ordinarii normas edicere debent, territorii sui condicionibus aptatas, quibus officia definiantur parentum quibus, certis in adiunctis, filios scholis non catholicis concredere licet ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « Episcoporum Conferentiae est » loco « debent », quia in canone mentio fit de Conferentia non autem de officio Episcoporum Conferentiarum.

Rev.mus Secretarius Ad. praeferit verbum « debent », quia agitur de obligatione Conferentiarum Episcoporum.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut hoc modo prima phrasis canonis immutetur: « Competit Episcoporum Conferentiis et locorum Ordinariis normae edicere..., etc. » et verba « earundem praescriptis attentis » omittantur.

Rev.mus secundus Consultor aestimat suggestiones Rev.mi quinti Consultoris favere normas nimis peculiares et periculum singularitatis in statutis diversarum dioecesum.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet casus esse posse in quibus Ordinarius aliquas normas peculiares pro sua quoque dioecesi edicere debet.

Rev.mus primus Consultor mentionem facit de quadam civitate suae dioecesis religione Waldensi totaliter imbuta, ubi parentes sunt in necessitate filios educandos concredere scholis in quibus formationi eorum christianaem non providetur quia difficile esset filios suos in aliquam civitatem mittere. In hoc casu Ordinario loci normas peculiares edicere competit.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit officium Conferentiarum Episcopalia esse tales normas generales edicere, ita ut Ordinarii locorum

libertatem habeant aliquas normas peculiares statuendi, et hoc in canone clare dicendum esse putat; propterea proponit hunc textum canonis 8 bis:

« Episcoporum Conferentiis atque, earundem praescriptis attentis, locorum Ordinariis competit normas edicere, territorii sui condicionibus aptatas, quibus officia definiantur parentum quibus, certis in adjunctis, filios scholis non catholicis concredere licet ».

Placet omnibus.

*Ad canonem 9*

Hic canon, uti iam in sessione secunda coetus approbatus est, placet omnibus.

### III

#### DISCEPTATIO SCHEMATICIS CANONUM « DE SCHOLIS »

(altera pars)

In sessione secunda coetus approbati iam sunt canones « de scholis », in quibus tractatur: de iure christifidelium ad educationem christianam (can. 1), de officiis et iuribus parentum quoad educationem (can. 2), de officio et iure Ecclesiae in educatione (cann. 3 et 4), et de obiecto educationis (can. 5); praeterea approbati sunt canones aliqui respicientes media ad educationem, praesertim scholas, videlicet approbati sunt canones, in quibus agitur de officiis parentum scholas quod spectat (cann. 6-9).

Remanet ut agatur de officio et iure Ecclesiae ad scholas quod attinet. Iam autem, secundum observationes in praecedenti sessione factas, a Rev.mo Secretario Ad. proponitur de hac quaestione schema canonum, qui nunc considerantur.

*Ad canonem 10 (1375)*

Rev.mus Secretarius Ad. secundum suggestiones a Rev.mo secundo Consultore in praecedenti sessione factas, proponit textum sequentem:

« Ecclesiae ius est scholas cuiusve disciplinae, elementarias scilicet et medias, atque superiores, etiam Universitates et Facultates condendi ».

Placet omnibus uti proponitur.

*Ad canonem 11 (1379) § 1*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hunc textum:

« Si praesto non sint, quae ab incoepitis privatorum sive religiosorum sive laicorum, aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus

educatio tradatur christiano spiritu imbuta, Episcoporum praesertim est curare ut condantur ».

Rev.mus secundus Consultor notat canonem loqui de religiosis et de laicis non autem de sacerdotibus saecularibus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut verba « sive religiosorum sive laicorum » supprimantur.

Placet omnibus cum suggestione Rev.mi Secretarii Ad.

#### *Ad canonem 11 (1379) § 2*

In praecedenti sessione Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem posuit de scholis technicis seu professionalibus, de quibus in Conc. Vat. II (Decl. *Gravissimum educationis*, n. 9): « ... magni quoque facienda sunt illae quae ab hodiernis condicionibus peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quae profesionales et technicae nuncupantur ». Nunc proponit canonem 11, § 2:

« Ubi de iudicio Episcoporum Conferentiae id expedit, Ordinariorum locorum quoque est, attentis normis ab eadem Conferentia statutis, curare ut illae habeantur scholae, spiritu christiano imbutae, quae pro temporis adjunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas profesionales et technicas nuncupantur ».

Exc.mus tertius Consultor aestimat nimis libertatem Episcoporum in hoc canone coarctari.

Etiam Rev.mus quintus Consultor censet Conferentias Episcopales dare posse suggestiones et normas generales edicere, sed Episcopos propriam libertatem servare debere.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur « aut Conferentiae Episcoporum aut Ordinarii locorum ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc formulam « Audita tamen Conferentia Episcoporum... ».

Rev.mus quintus Consultor non videt necessitatem huius formulae « Audita tamen Conferentia Episcoporum », quando agitur de scholis a privatis vel a Religiosis conditis.

Exc.mus tertius Consultor animadvertisit, facta comparatione cum canonibus praecedentibus, magis posse privatos quam Ordinarios in condendis scholis.

Rev.mi primus et quartus Consultores censent scholas profesionales et technicas a condicionibus localibus peculiari ratione requiri; ergo Episcopi, qui condiciones propriae dioecesis melius quam alii cognoscunt, in condendis iisdem scholis certam libertatem servare debent.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit novam formulam: « Consilio prius habitu cum Episcoporum Conferentia... ».

Rev.mus primus Consultor praefert verba « attentis normis » loco « consilio habitu ». Haec forma omnibus placet.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit novam formulam:

« Ubi id expedit, Ordinariorum locorum est, attentis normis, si quae habeantur, ab Episcoporum Conferentia statutis, curare ut illae condantur scholae, spiritu christiano imbutae, quae pro temporis adiunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas profesionales et technicas nuncupant ».

Placet omnibus. Ergo probatus est textus.

*Ad canonem 12, § 1*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit canonem sequentem:

Can. 12 (novus): § 1. Advigilent Episcoporum Conferentiae atque locorum Ordinarii ut in omnibus scholis catholicis, sive a christifidelium privatis incoepitis sive ab ipsa Hierarchia conditae sint, institutio tradatur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica praestans ».

Rev.mus quintus Consultor censet phrasim « ac in aliis scholis regionis » esse nimis generalem.

Rev.mus secundus Consultor praefert vocabulum « curent » loco « advigilent ». Ratio haec est: vigilantia ex parte ipsius scholae facienda est.

Rev.mus primus Consultor proponit ut locutio « sive a christifidelium privatis incoepitis sive ab ipsa... » tollatur quia iam in alio loco hoc dictum est.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut canon hoc modo mutetur « curent scholae catholicae atque advigilent Episcoporum Conferentiae ut institutio in iisdem tradatur pari saltem gradu ac in aliis scholis... ».

Exc.mus tertius Consultor proponit ut loco « curent scholae catholicae... » ponatur « curent Rectores aut Moderatores scholarum catholiarum ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur:

« Curent scholarum catholicarum Moderatores atque advigilent Episcoporum Conferentiae et locorum Ordinarii ut institutio in iisdem tradatur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica sit praestans ».

Placet omnibus et probatur textus.

*Ad canonem 12, § 2*

Rev.mus Secretarius Ad. textum proponit sequentem:

« Locorum Ordinarii solliciti quoque sint scholarum non christiana-  
rum in suo territorio conditarum, curantes praesertim ut qui ad reli-  
gionis institutionem in iisdem deputentur magistri zelo, doctrina et arte  
paedagogica sint praestantes ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit « catholicarum in suo territorio  
exsistentium » loco « christianarum in suo territorio conditarum ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut loco « in suo territorio con-  
ditarum » ponatur tantum « sui territorii ».

Consentiunt omnes pro textu, qui probatur:

« Locorum Ordinarii solliciti quoque sint scholarum non catholica-  
rum sui territorii, curantes praesertim ut qui ad religionis institutionem  
in iisdem deputentur magistri zelo, doctrina et arte paedagogica sint  
praestantes ».

*Ad canonem 13, § 1*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum sequentem:

« Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuuentutis  
religiosa, in quibuslibet scholis quae tradatur sicut et quae variis com-  
municationis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferen-  
tiarum et locorum Ordinariorum est eandem ordinandi atque in eandem  
invigilandi ».

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit institutionem et educa-  
tionem religiosam esse posse etiam protestanticam, et ideo in textu melius  
dicendum esse de qua institutione et educatione agatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc locutionem « institutio et  
educatio iuuentutis in religione catholica ».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut verbo « religiosa » adiun-  
gatur vocabulum « catholica ».

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit Ecclesiam catholicam ius et  
officium habere invigilandi in omnes baptizatos, ergo etiam protestantes.

Exc.mus tertius Consultor notat practice hoc ius Ecclesiae restringi  
ad catholicos.

Exc.mus sextus Consultor proponit ut dicatur « subiicitur saltem »,  
ita ut aliae Ecclesiae non excludantur.

Conveniunt omnes de hac locutione « institutio et educatio iuuentutis  
religiosa catholica ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut tollatur verbum « sicut » et adiungatur verbum « socialis » post verbum « communicationis ».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in fine paragraphi dicatur « ordinare » et « invigilare » loco « ordinandi » et « invigilandi ».

Consentient omnes.

Textus itaque canonis 13, § 1 erit:

« Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuuentutis religiosa catholica quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferentiarum et locorum Ordinariorum est eandem ordinare atque in eandem invigilare ».

Placet textus et probatur.

#### *Ad canonem 13, § 2*

Proponitur textus sequens a Rev.mo Secretario Ad.:

« Locorum Ordinariis competit ius invigilandi et invisendi scholas in suo territorio sitas, etiam eas quae a religiosis conditae sint et dirigantur; eisdem etiam competit praescripta edere quae ad generalem attinent ordinationem scholarum catholicarum; quae praescripta etiam valent de scholis quae a religiosis, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorundem quoad internum earum scholarum moderamen autonomia ».

Rev.mus secundus Consultor censet ius invigilandi concedi posse Episcopis non autem ius ordinandi eas scholas quae a religiosis conditae sint.

Attamen Rev.mus Secretarius Ad. declarat talem normam iam admis-  
sam in Concilio Vat. II (*Christus Dominus*, n. 14), sed in votis esse  
ut formula magis determinata habeatur.

Placet textus uti est.

#### *Ad canonem 13, § 3*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum sequentem:

« Eisdem locorum Ordinariis quoque competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem educationem christiana populi Dei pertinent, ea quoque quae religiosorum exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem Ordinariis etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis, quatenus ad institutionem doctrinae christiana adhibeantur (cfr. CIC can .1381) ».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in fine dicatur « doctrinae *catholicae* adhibeantur ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. locutionem « doctrina catholica » non convenire: est doctrina christiana, sed ut definitur a Magisterio, ut supra dictum iam est.

Rev.mi quartus et secundus Consultores proponunt ut adiungatur etiam vox « officium » in prima linea.

Rev.mus primus Consultor praefert « formationis christiana » loco « doctrinae christiana ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in hoc loco agi de doctrina non de formatione.

Rev.mus primus Consultor proponit ut idem ius competit Episcoporum Conferentiis.

Concordat Rev.mus Secretarius Ad. et proponit ut adiungatur etiam « Conferentiis Episcopalibus ».

Exc.mus sextus Consultor praefert locutionem « educationem formationemve ». Ratio est quia haec formula complectitur etiam adultos.

Placet haec emendatio.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in secunda parte tollatur vox « ordinandi ».

Rev.mus primus Consultor aestimat melius explicandum esse vocabulum « usum » (in secunda parte paragraphi) quod intelligi potest sensu passivo et sensu activo (transmissio et receptio).

Rev.mus Secretarius Ad. censet vocabulum « usum » sensu activo intelligi debere, propterea proponit ut dicatur in fine « quatenus ad formationem christianam impertiendam adhibeantur ».

Placet haec emendatio.

Quare textus canonis ita sonat:

« Episcoporum Conferentiis atque locorum Ordinariis quoque competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem formationemve christianam populi Dei pertinent, ea quoque quae religiosorum exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis socialis, quatenus ad formationem christianam impertiendam adhibeantur ».

Textus placet omnibus et probatur.

*Ad canonem 14 (1381 § 3)*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut ex paragrapho 3<sup>a</sup> canonis 1381 Codicis, ubi mentio fit de magistris et de libris, duae paragraphi complicantur sequenti modo:

« § 1. Episcoporum Conferentiis, pro scholis interdioecesanis sui territorii, locorum Ordinariis pro sua cuiusque dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur.

§ 2. Eorundem similiter est libros ad religiosam institutionem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirendi ut removeantur ».

Rev.mo secundo Consultori non placet vox « religionis » quia religio est Congregatio religiosa.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit locutionem « magistros doctrinae vel institutionis christiana ».

Exc.mus tertius Consultor respondet ex contextu sensum apparere.

Rev.mus secundus Consultor proponit inversionem verborum « magistros religionis ». Placet.

Exc.mus tertius Consultor proponit tertiam paragraphum sequentem:

« § 3. In institutione religiosa tradenda serventur praescripta statuta in Directorio generali Ecclesiae et in Directorio alicui regioni proprio ».

Consentient omnes de textibus a Rev.mo Secretario Ad. et ab Exc.mo tertio Consultore propositis, qui probantur.

#### IV

#### DISCEPTATIO DE UNIVERSITATIBUS IN GENERE

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat ante omnia affirmandum esse in Codice ius Ecclesiae condendi Universitates de scientiis profanis et proponit canonem sequentem:

##### *Ad canonem 22*

« Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur scientiae profanae, quippe quae, ad profundorem rerum cognitionem cum adlaborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant, quaeque ad hominum bonum commune, ideoque ad eorundem bonum spirituale quoque conferant ».

Exc.mus sextus Consultor proponit ut ultima phrasis « quaeque ad hominum bonum commune, ideoque ad eorundem donum spirituale quoque conferant » ponatur ut prima ratio, ita ut canon hoc modo sonet:

« Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur scientiae profanae, quippe quae ad hominum bonum commune ideoque ad eorundem bonum spirituale quoque confe-

rant, quaeque praeterea, ad profundiores rerum cognitionem cum ad laborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant ».

Placet omnibus.

*Ad canonem 23*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit canonem sequentem:

« Nulla studiorum Universitas nomen "Universitatis catholicae" gerat, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta sit, aut cui nomen "Universitas catholica" ab eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia, audita Apostolica Sede, consessum sit ».

Placet uti est.

*Ad canonem 24*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit:

« Ubi, attentis omnibus adjunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae current ut habeantur Universitates in quibus variae disciplinae tradantur sensu christiano, uti ab Ecclesia magisterio definitur, imbutae, ita ut universalis praesentia efficiatur mentis christiana in toto culturae altioris promovendo studio (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut addantur verba « servata autonomia scientifica »; ratio haec est: scientia coërcenda non est sensu christiano.

Exc.mus sextus Consultor tamen censem sufficiens esse quod in can. 26 dicitur, scilicet: « ... Universitatum Moderatores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur... ».

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur « servata quidem earum legitima autonomia ».

Placet haec additio.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut deleantur verba « sensu christiano uti ab Ecclesia Magisterio definitur, imbutae... ».

Concordant omnes. Itaque textus erit:

« Ubi, attentis omnibus adjunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae current ut habeantur Universitates in quibus variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christiana in toto culturae altioris promovendo studio (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

*Ad canonem 25*

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit:

« Ut theologica inquisitio connexa sit cum proprio tempore atque homines variarum disciplinarum excultores ad pleniorum fidei quoque scientiam iuvare possit, current Episcoporum Conferentiae ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem Cathedra S. Theologiae, in qua lectiones laicis quoque alumnis accommodatae tradantur (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit verba « coniuncta sit » vel « colligetur » loco « connexa sit ». Mutatio non placet Rev.mo secundo aliisque Consultoribus, quia theologia debet non tantum coniungi cum proprio tempore..., etc., sed debet peculiari modo influxum in alias scientias exercere.

Rev.mus Secretarius Ad. una cum Exc.mo sexto Consultore proponit sequentem formulam:

« Ut theologica inquisitio aptius cum quaestionibus cuique temporis propriis connectatur ».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco verborum « iuvare possit » adhibeantur « auxilio esse valeat ».

Placet omnibus.

Exc.mus sextus Consultor aestimat ultimam phrasim, ubi agitur de erectione Facultatis S. Theologiae in aliis Universitatibus corrigendam esse, quia hoc modo videretur in omnibus Universitatibus facultatem theologicam erigendam esse.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem correctionem « ubi id expedit et fieri possit, ... etc. ».

Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut ultima phrasis « in qua lectiones... tradantur » sequenti modo corrigatur « in qua lectiones studio theologicō laicorum tradantur »; ratio haec est: verba « laicis quoque alumnis accommodatae... », uti sunt in canone, indicare videntur quod lectiones laicis traditae inferioris rationis sunt quam lectiones clericis traditae.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem locutionem: « In qua lectiones pro laicis quoque tradantur ».

Placet omnibus, itaque textus erit:

« Ut theologica inquisitio aptius cum quaestionibus cuique temporis propriis connectatur atque hominibus variarum disciplinarum excultoribus ad pleniorum fidei quoque scientiam auxilio esse valeat, current Episcoporum Conferentiae ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expedit et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem Cathedra S. Theologiae, in quae lectiones pro laicis quoque tradantur (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

*Ad canonem 26*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum sequentem:

« In Universitatibus et Facultatibus omnibus quae ab Ecclesia dependent, solliciti sint sacri pastores, Universitatum rectores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur atque altius perspiciatur qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10) ».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut verba penultimae et ultimae lineae « ut profundior in dies... conspirent » deleantur quia videntur indicare quod talis esset finis Universitatum.

Concordat Exc.mus sextus Consultor qui affirmat non existere claram connexionem inter verba « propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate » cum illis verbis « qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut sequenti modo mutetur ultima phrasis « ..., ita ut altius perspici possit qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent ».

Placet omnibus.

Exc.mus sextus et Rev.mi quartus et quintus Consultores censem delenda esse in canone verba « Sacri pastores », ob rationes sequentes:

1) In Declaratione Conciliari *Gravissimum educationis*, n. 10, mentio fit de disciplinis tantum, non de sacris pastoribus vel de rectoribus et professoribus.

2) Sacri pastores non debent curam habere de principiis et de methodo, sed solummodo habent munus invisendi.

3) Pastores carent necessaria competentia de singulis disciplinis.

4) Pastores curare debent ut servetur autonomia in Universitatibus, sed non debent se interponere in quaestionibus Universitatum.

Rev.mus secundus Consultor aestimat verba « sacri pastores » servanda esse, et quidem ob rationes sequentes:

1) Optatur ut in canone mentio fiat de sollicitudine sacrorum Pastorum ut in Universitatibus, servata autonomia scientifica, « fides et ratio in unum verum conspirent »; non agitur de eorum competentia in singulis disciplinis.

2) Episcopi, etsi non habeant competentiam de singulis disciplinis, curare possunt et debent ut professores et moderatores sint idonei et ut ipsis relinquatur debita libertas scientifica.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut verba « sacri pastores » supprimantur et ut loco verbi « rectores » ponatur verbum « moderatores ».

Placet omnibus, itaque textus erit:

#### *Canon 26*

In Universitatibus et Facultatibus omnibus quae ab Ecclesia dependent, solliciti sint Universitatum Moderatores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur, ita ut etiam altius perspici possit qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 36).

#### *Ad canonem 27*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem textum, qui placet omnibus:

#### *Canon 27*

Curent Universitatum catholicarum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates sibi invicem praestent operam, utque, ad universae hominum communitatis bonum, amplam foveant cum aliis Universitatibus cooperationem, in conventibus internationalibus participando easque promovendo, in scientificis pervestigationibus cum aliis collaborando, magistros ad tempus permutando atque alia quae ad maius scientiarum incrementum conferre possint media provehendo (cfr. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 12).

*Ad canonem 28*

Textus proponitur sequens:

« Provideant Episcoporum Conferentiae regionis atque locorum Ordinarii ut christifidelibus adultis quoque praebeatur possilitas ad profundorem in religione christiana consequendam institutionem, ideoque ordinentur lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, condantur scholae superiores vel academie scientiarum religiosarum, in quibus nempe docentur disciplinae theologicae aliaeque quae ad culturam christianam pertinent ».

Oritur discussio de verbo « possilitas ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit verba « occasio », « opportunitas », « facultas » loco « possilitas ».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « amplior via patet ».

Consultores praeferunt verbum « possilitas », quia cum hoc verbo « modus » ad profundorem in religione christiana consequendam institutionem non statuitur et amplior via patet variis modis ad institutionem religionis christiana tradendam.

Itaque omnes consentiunt ut textus maneat prout a Rev.mo Secretario Ad. propositus.

*Ad canonem 29*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem canonem generalem in quo momentum institutionis religiosae affirmatur, secundum suggestionem a Rev.mo primo Consultore suo loco factam:

« Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad apostolatum unusquisque pro parte sua vocati, solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius propagetur et ab hominibus reapse recipiatur ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut in canone mentio fiat de obligatione acquirendi cognitionem fidei respectu sui ipsius, non solummodo respectu apostolatus et proponit una cum Rev.mo Secretario Ad. ut adiungatur in textu sequens locutio: « quippe qui omnes ad pleniorum veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant... ».

Placet omnibus, itaque textus erit:

« Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad pleniores veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius propagetur et ab hominibus reapse recipiatur ».

## V

### DISCEPTATIO CANONUM « DE UNIVERSITATIBUS ET DE FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM »

1) Quaestio an Institutum, quod tantum aliquas facultates habet, possit vocari Universitas, a Rev.mo Secretario Ad. ponitur, qui aestimat vocem « Universitas » convenire tantum illis Universitatibus quae omnes facultates habent.

Exc.mi sextus, tertius et Rev.mus secundus Consultores censem nomen « Universitas » retinendum etiam pro Universitatibus quae non habent omnes facultates, quia de facto Congregatio pro institutione catholica reapse nuncupat Universitatem, Summam Facultatum Ecclesiasticarum et ipse Summus Pontifex Ioannes XXIII Universitatem fundavit in qua deerat totalitas facultatum.

Rev.mus quintus Consultor aestimat hanc definitionem de Universitatibus non pertinere ad hunc coetum.

2) Quaestio fit de methodo procedendi in recognitione et disceptatione canonum de Universitatibus et de Facultatibus studiorum ecclesiasticorum.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut disceptatio fiat de textu ab ipso iam praeparato.

Attamen Exc.mus sextus Consultor animadvertisit Sacram Congregationem pro institutione catholica normas quasdam edidisse ad constitutionem apostolicam *Deus scientiarum Dominus* de studiis academicis ecclesiasticis recognoscendam, atque declarat quod omnia et singula quae iisdem Normis edicta sunt, Summus Pontifex Paulus div. Prov. PP. VI, in Audientia die 16 maii subsignato Praefecto concessa, rata habuit, confirmavit atque ut ad actum fideliter dederentur praescripsit, quibuslibet etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Exc.mus tertius Consultor censet has normas attente considerandas esse ut fundamentum in recognitione canonum de Universitatibus et facultatibus studiorum ecclesiasticorum quia hae normae habent rationem legis.

Quaestio igitur ponitur de vi legislativa harum normarum, Rev.mus Secretarius Ad. et Rev.mus secundus Consultor animadvertisunt in documento non clare apparere valorem iuridicum earundem normarum.

Notat insuper Rev.mus secundus Consultor in documento nihil dici de erectione universitatum.

In fine Consultores omnes consentiunt ut textus a Rev.mo Secretario Ad. propositus submittatur considerationi duorum peritorum S. Congregationis pro institutione catholica et disceptatio huius materiae fiat attento textu Rev.mi Secretarii Ad. attentisque etiam emendationibus in cann. 15-21 « De Universitatibus et facultatibus studiorum ecclesiasticorum » a peritis S. Congregationis propositis.

#### A) TEXTUS PROPOSITUS A REV.MO SECRETARIO AD.

##### *Canon 15 (introductorius)*

§ 1. Magni facit Ecclesia Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum, in quibus scilicet alumni pparentur qui disciplinas sacras propria ope promovere valeant, in superioribus studiorum ecclesiasticorum sedibus docere possint ac varia in Ecclesia ministeria, pparentim apostolatus intellectualis munera, suscipere queant.

§ 2. Earundem Universitatum et Facultatum est alumnos in scientiis sacris studendis rite efformare atque maxime, propriis quidem unicuique scientiae methodis servatis atque auxiliis adhibitis, varias disciplinarum sacrarum regiones altius pervestigare, ita ut profundior in dies Sacrae Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christiana a maioribus traditum plenius aperiatur, dialogus etiam cum fratribus seiunctis et cum non christianis promoveatur atque quaestionibus a doctrinamarum progressu exortis responsum dari possit (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 11).

##### *Canon 16 (CIC can. 1376)*

§ 1. Universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum constituitantur possunt erectione ab Apostolica Sede facta aut approbatione ab eadem concessa.

§ 2. Singulae Universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum, etiam quae sub moderamine sunt cuiuslibet religiosae familiae, sua habere debent statuta, ab Apostolica Sede approbata.

*Canon 17 (CIC can. 1377)*

Gradus academicos, qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest, nisi ex facultate ab Apostolica Sede concessa.

*Canon 18*

Universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum suam habeant studiorum rationem, cuius normae determinantur sive ab Apostolica Sede sive ab Episcoporum Conferentia regionis aut districtus regionalis, secundum normas ab Apostolica Sede statutas.

*Canon 19*

Ut Universitates facultatesque studiorum ecclesiasticorum per diversas orbis partes convenienter sint distributae atque doctrinae studio eniteant, erigantur tantum ubi id expedire videatur sive de iudicio Apostolicae Sedis, audita Episcoporum Conferentia cuius interest, sive de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis, et audita prius particulari ab eadem Conferentia constituta Commissione, clericis saecularibus et etiam religiosis in materia peritis constante (cfr. Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

*Canon 20 (CIC can. 1380)*

§ 1. Quatenus dioecesis vel instituti religiosi, regionis ecclesiasticae, immo vel ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat, debent Ordinarii ad Universitates facultatesve studiorum ecclesiasticorum mittere clericos indole, virtute et ingenio praestantes, qui ibidem in scientiis sacris altiore ratione scientifica praeparentur (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 18; Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

§ 2. Curent iidem Ordinarii ut per idoneos piosque sacerdotes debite provideatur institutioni spirituali necnon formationi pastorali clericorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sunt, qui in Universitatibus facultatibusve studiis incumbunt (Decr. *Optatam totius*, n. 18).

*Canon 21*

Curent Universitatum et facultatum studiorum ecclesiasticorum rectores et professores ut propriam Universitatem Facultatemve inter et

alias Universitates et Facultates mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent; current etiam ut variae Universitatis facultates mutuam sibi, prout obiectum si- verit, praestent operam.

B) EMENDATIONES, QUAE A PERITIS S. CONGREGATIONIS  
INDUCENDAE PROPONUNTUR, IN CANN. 15-21  
« DE UNIVERSITATIBUS ET FACULTATIBUS  
STUDIORUM ECCLESIASTICORUM »  
(die 23 octobris 1968 missae)

*Praenotandum*

Animadversiones et Emendationes factae sunt in luce documenti *Normae quaedam*, emanati a S. Congregatione pro Institutione Catholica, cum approbatione Summi Pontificis (die 20 maii 1968). Normae insuper apparatae sunt cum intima cooperatione omnium Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum.

EMENDATIONES

*Canon 15*

Proponitur novus textus:

§ 1. « Magni facit Ecclesia Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum; quae scilicet fines persequuntur disciplinas sacras vel cum sacris connexas altius excolendi ac provehendi, atque alumnos in iisdem disciplinis scientifice instituendi ».

§ 2. « Cultus ac promotio scientiarum ecclesiasticarum scientifico prorsus modo fieri debet, methodis cuiusque disciplinae rite servatis atque idoneis auxiliis adhibitis, adeo ut profundior in dies Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christianaee plenius aperiatur, dialogus cum fratribus seiunctis, cum non christianis et cum non creditibus promoveatur, atque quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur ».

§ 3. « Altior alumnorum institutio obtainienda est praecipue directa fontium cognitione, investigationibus ceterique laboris scientifici usu, ita ut in ipsis foveatur personalis capacitas scientiam provehendi ac tradendi ».

*Rationes*

Novus textus omnes ideas textus prioris exprimit, sed modo magis ordinato.

Quaestio moveri posset utrum conveniat necne in Codice enucleari fines Universitatis et Facultatis.

*Canon 16*

Canon sic legatur in prima paragrapho:

« Universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum constitui tantum possunt erectione ab Apostolica Sede facta ».

*Rationes*

Expunguntur in textu verba « aut approbatione ab eadem concessa » ob sequentes causas:

a) conceptus approbationis non mutat naturam obiecti approbationis. Facultas quae approbaretur habenda esset ut iam antea existens. Ergo ageretur de contradictione quadam, quia quod iam existit non indiget approbatione ut constituatur;

b) cum agitur de Facultatibus studiorum sacrorum semper implicitur quaestio de Magisterio ecclesiastico (de unitate fidei et sacerdotii, etc.).

Atqui quaevis Facultas sive ex natura sua scholae supremi gradus, sive ex eo quod scientia stricte sumpta totum genus humanum respicit, influxum exercet universalem, nempe ultra fines cuiusvis Dioecesis vel Nationis.

Ergo nonnisi suprema et universalis Ecclesiae auctoritas competens est ad Facultates studiorum sacrorum erigendas.

*Paragraphus 2<sup>a</sup>* potest manere sicut prostat.

*Canon 17*

Potest manere sicut iacet.

*Canon 18*

Hoc modo textus emendetur:

« Universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum suam habent studiorum rationem, cuius normae determinantur ab Apostolica Sede, una cum Episcoporum Conferentia ».

*Rationes*

Ratio est quia ex una parte servanda est unitas formationis sacerdotalis, ex altera consulendum est variis exigentiis localibus.

*Canon 19*

Proponitur textus in paucis emendatus:

« Facultates et Universitates, ut scientifica praestantia vere gaudeant atque in variis terrae partibus apta ratione et congruo numero distribuantur, erigendae tantum ubi id expedire videatur de iudicio Apostolicae Sedis, cooperantibus in eo efformando Episcoporum Conferentia, cuius interest, atque quadam Commissione Peritorum internationali ».

*Rationes*

Novus textus magis congruit documento *Normae quaedam*.

*Canon 20*

§ 1. Expungantur ultima verba « qui ibidem in scientiis sacris altiore ratione scientifica praeparentur ».

Ipsa enim videntur superflua, cum idea iam exprimatur in can. 15.

§ 2: Textus sic emendetur:

« Ordinariorum loci atque Facultatum est curare ut debite provideatur institutioni spirituali necnon formationi pastorali alumnorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sint ».

*Ratio*

Responsabilitas curandi institutionem spiritualem et pastoralem concordata esse videtur etiam ipsis Facultatibus, praesertim quando agitur de Facultate theologica, quae praebet institutionem ad sacerdotium. Ad hoc consequendum Facultates inire debeant consilia cum variis Seminariis, Collegiis, Convictibus, Religiosorum domibus. (Cfr. etiam *Normae quaedam*).

*Canon 21*

Proponitur novus textus:

« In unaquaque Universitate Facultates mutuam assiduamque sibi invicem praestent operam.

Inter Universitatem et Facultates quae alicuius Universitatis non sint partes mutua fovenda est cooperatio ut, viribus unitis, conspiretur ad continuum et organicum scientiae progressum.

Intimior quoque nexus colendus est inter Universitates Facultatesque ecclesiasticas et Universitates Facultatesque civiles necnon quaelibet centra investigationis scientificae ».

*Ratio*

Novus textus fortasse modo clariore easdem ideas exprimit.

C) COMPARATIO TEXTUS A REV.MO SECRETARIO AD. PARATI  
CUM EMENDATIONIBUS A PERITIS S. CONGREGATIONIS  
PRO INSTITUTIONE CATHOLICA INDUCTIS

*Ad canonem 15*

Textus a peritis S. Congregationis pro Institutione catholica paratus est sequens:

§ 1. « Magni facit Ecclesia Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum; quae scilicet fines persequuntur disciplinas sacras vel cum sacris connexas altius excolendi ac provehendi atque alumnos in iisdem disciplinis scientifice instituendi ».

§ 2. « Cultus ac promotio scientiarum ecclesiasticarum scientifico prorsus modo fieri debet, methodis cuiusque disciplinae rite servatis atque idoneis auxiliis adhibitis, adeo ut profundior in dies Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christiana plenius aperiat, dialogus cum fratribus seiunctis, cum non christianis et cum non credentibus promoveatur, atque quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur ».

§ 3. « Altior alumnorum institutio obtainenda est praecipue directa fontium cognitione, investigationibus ceterique laboris scientifici usu, ita ut in ipsis foveatur personalis capacitas scientiam provehendi ac tradendi ».

Exc.mus sextus Consultor animadvertisit in prima paragrapho duplarem finalitatem statui: 1) inquisitionem; 2) institutionem.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit in § 3 locutionem « aliorumve laborum scientificorum usu » loco « ceterique laboris scientifici usu », utpote loco ultimae phrasis dicatur « ita ut ipsi habiles fiant qui scientiam provehant atque tradant ».

Placet emendatio proposita.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in § 1 loco « excolendi » ponatur « investigandi ».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in § 2 loco « respondeatur » dicatur « respondere possit ».

Exc.mus sextus Consultor praefert vocabulum « respondeatur » quia magis obstringens.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in § 2 phrasis ultima « quae-stionibus a doctrinarum progressu... » anteponatur verbis « dialogus cum fratribus seiunctis... ».

Placet omnibus.

Textus ille cum suggestionibus Rev.morum quarti ac secundi Con-tultorum et Secretarii Ad. admitti potest, de omnium sententia.

#### *Ad canonem 16*

Textus a peritis S. Congregationis pro Institutione catholica propo-situs est sequens:

« Universitates et facultates studiorum ecclesiasticorum constitui tan-tum possunt erectione ab Apostolica Sede facta ».

#### *Rationes*

Expunguntur in textu verba « aut approbatione ab eadem concessa » ob sequentes causas:

a) conceptus approbationis non mutat naturam obiecti approbatio-nis. Facultas quae approbaretur habenda esset ut iam antea existens. Ergo ageretur de contradictione quadam, quia quod iam existit non indiget approbatione ut constituatur;

b) cum agitur de Facultatibus studiorum sacrorum semper implicatur quaestio de Magisterio ecclesiastico (de unitate fidei et sacerdotii, etc.).

Atqui quaevis Facultas sive ex natura sua scholae supremi gradus, sive ex eo quod scientia stricte sumpta totum genus humanum respicit, influxum exercet universalem, nempe ultra fines cuiusvis Dioecesis vel Nationis.

Ergo nonnisi suprema et universalis Ecclesiae auctoritas competens est ad Facultates studiorum sacrorum erigendas.

*Paragraphus 2<sup>a</sup>* potest manere sicut prostat.

1) *Ad § 1*

Rev.mus Secretarius Ad. timet in § 1 nimium centralismum Sanctae Sedis affirmari. Censet vero de ratione sub *a*) utraque elementa, scilicet erectionem et approbationem requiri posse ad constituendam Universitatem. Aestimat rationem Peritorum qui affirmant conceptum approbationis naturam obiecti approbationis non mutare contradictoriam esse quia iuridice requiritur post creationem approbatio a Sancta Sede ut definitive Universitas constituatur; ergo approbatio proprie sensum habet.

Ad secundam rationem sub *b*) animadvertisit maiorem syllogismi veram esse minorem; nec valet ratio « scientia stricte sumpta totum genus humanum respicit... », quia non tantum Ecclesia sed alii ex. gr. O.N.U. possunt habere ut finem totum genus humanum.

Exc.mus sextus Consultor animadvertisit in normis S. Congregationis praevideri quandam planificationem, ita ut distributio adaequata Universitatum fiat in variis terrae partibus. « Cum maxime intersit Facultates ecclesiasticas scientifica praestantia vere gaudere atque in variis terrae partibus apta ratione et congruo numero distribui, necessaria esta illa quae dicitur "planificatio" » (S. Congr. pro institutione catholica *Normae quaedam*).

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. creationem Universitatis et collationem graduum academicorum idem non esse.

Exc.mus sextus Consultor censet, si Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum constitui possint cum approbatione tantum ab Apostolica Sede concessa, erectionem non pendere ab ipsa Sancta Sede.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. Universitates auctoritate Ecclesiae erigi et approbari posse.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit Universitates, antequam approbationem Sanctae Sedis obtinuerint, gradus academicos dare non posse.

Rev.mus Secretarius Ad. declarat Sanctam Sedem facultatem conferendi gradus academicos dare non posse sine praevia approbatione erectionis. Notat vero periculosum esse affirmare solam Sanctam Sedem erigere posse Universitates, quia hoc modo participatio Episcoporum excluditur.

Exc.mus tertius Consultor animadvertisit Universitates quoque statales erigi posse tantum cum approbatione Gubernii, etiam in Natione gallica; in Italica autem Universitates monopolium statale esse.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hodie tendentiam esse ut Universitates non proprie sint statales.

Exc.mus sextus Consultor notat Universitates, cum libere conditae sint in aliquo Stato, dare non posse gradus academicos sine interventu vel approbatione ex parte Status.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « approbatione » loco « erectione », quia approbatio ex parte Sanctae Sedis sufficit, et non debet requiri monopolium pro Sancta Sede. Ad planificationem per Sanctam Sedem, sufficit approbatio.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario Ad. et affert sequens exemplum: In Germania non possunt dari gradus in S. Theologia ab Universitatibus statalibus sine approbatione Sanctae Sedis, et tamen hae Universitates erectae sunt sine interventu S. Sedis.

Rev.mus Secretarius Ad. notat: in Universitate Lovaniensi gradus aliqui habentur canonice non recogniti, et tamen qui consequuntur illos gradus nominantur vulgo « gradués », quia gradus habent academicos.

Rev.mus secundus Consultor periculum videt in can. 16 a peritis proposito, quia exprimitur nimius centralismus ex parte Sanctae Sedis.

Exc.mus sextus Consultor concedit approbationem Sanctae Sedis haberi posse ut sufficientem, quia remanet semper libertas ex parte Sanctae Sedis approbandi vel non approbandi. Attamen existunt Facultates quae de facto dant gradus sine necessaria approbatione: ad hoc vitandum proponitur canon in quo pro canonica constitutione Universitatum et Facultatum requiritur ut erectio fiant tantum ab Apostolica Sede.

In fine Rev.mus Secretarius Ad. suffragium proponit, ut dirimatur utrum admittenda sit formula « erectione... aut approbatione », an tantummodo « erectione ».

Omnis Consultores consentiunt ut constitutio Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum admittatur aut erectione a Sancta Sede facta aut approbatione ab eadem concessa; solus Exc.mus sextus Consultor se abstinet a suffragio ferendo.

## 2) *Ad § 2*

In secunda paragrapho eiusdem canonis proprii textus, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « religiosi instituti » loco « religiosae familiae ».

Rev.mus primus Consultor proponit, una cum Rev.mo Secretario Ad., ut dicatur « instituti religiosi aut saecularis ».

Placet omnibus textus paragraphi cum iis emendationibus.

*Ad canonem 17 (CIC 1377)*

Textus a Rev.mo Secretario Ad. propositus sic sonat:

« Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest nisi ex facultate ab Apostolica Sede concessa ».

Placet omnibus textus, uti est propositus.

*Ad canonem 18*

Textus a peritis S. Congregationis propositus non placet Rev.mo Secretario Ad., quia videtur insufficiens: nam Episcoporum Conferentiae normas peculiares non quidem contra, sed praeter normas S. Sedis statuere possunt.

Exc.mus sextus Consultor declarat quod in Decreto *Optatam totius*, n. 1 affirmatur rationem studiorum approbandam esse ab Apostolica Sede. In textu Rev.mi Secretarii Ad. videtur poni alternativa inter Sanctam Sedem et Conferentiam Episcoporum, in textu vero a peritis S. Congregationis proposito ex una parte unitas formationis sacerdotalis servatur, ex altera parte affirmatur ipsam formationem ad peculiaria adiuncta locorum et temporum accommodari debere.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur « cuius normae determinantur ab Apostolica Sede et insuper a Conferentia Episcopali ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem locutionem « cuius normae determinantur ab Apostolica Sede et, his quidem normis servatis, etiam ab Episcoporum Conferentia ».

Rev.mus primus Consultor aestimat Conferentiam Episcoporum competentem esse solam Conferentiam regionis, non vero districtus regionalis.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit exsistere v.g. in Gallia districtus regionales, et conditiones seu adiuncta saepe esse omnino diversa secundum varios districtus.

Exc.mus sextus Consultor declarat, secundum Decretum *Optatam totius* rationem formationis sacerdotalis decerni debere a Conferentia Episcopali, non autem a singulis Episcopis.

Consentiant omnes Consultores ut verba « districtus regionalis » supprimantur.

Rev.mo primo Consultori in textu S. Congregationis non placet locutio « una cum Episcoporum Conferentia ».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut tollatur verbum « una ».

Rev.mus Secretarius Ad. interum proponit ut ultima phrasis sequenti modo mutetur: « Ab Apostolica Sede, et iis quidem normis servatis, etiam ab Episcoporum Conferentia ».

Exc.mus sextus Consultor aestimat hoc modo minui competentiam Conferentiarum Episcoporum, quibus circa rationem studiorum pro Seminariis statuendam ius competit secundum Decretum *Optatam totius*. Insuper animadvertisit in Decreto *Optatam totius* tractari de ratione studiorum pro Seminariis statuenda, sed eandem normam convenire posse etiam Universitatibus ecclesiasticis, quae in scientiis sacris aliave ratione scientifica Sacerdotes praeparant; praeterea censem in canone aliquid dicendum esse etiam de Episcopis.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur « necnon ab Episcoporum Conferentiis ». Non placet.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem formulam: « ... Ab Apostolica Sede aut, servatis quidem normis ab eadem statutis, ab Episcoporum Conferentia ».

Placet omnibus hic textus, qui probatur.

Itaque textus canonis 18 erit:

« Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum suam habent studiorum rationem, cuius normae determinantur ab Apostolica Sede aut, servatis quidem praescriptis ab eadem statutis, ab Episcoporum Conferentia ».

#### *Ad canonem 19*

Rev.mus Secretarius Ad. declarat in hoc canone quaestionem ponendi de opportunitate erigendi Universitates et de locis ubi Universitates et Facultates condendasunt: praescriptum propositum est novum. Circa textum S. Congregationis, non videt necessitatem Commissionis peritorum internationalis; praeterea videtur affirmari in textu S. Congregationis nimium centralismum Sanctae Sedis, quia, secundum propositum canonem, Universitates « erigendae sunt tantum ubi id videatur de iudicio Apostolicae Sedis, cooperantibus in eo efformando Episcoporum Conferentia atque quadam Commissione... ».

Exc.mus sextus Consultor animadvertisit in *Normis S. Congregationis*, pag. 15, n. 12 mentionem fieri de Conferentiis Episcoporum, de Commissione quadam internationali et de Sacra Congregatione pro institutione catholica, vel de Apostolica Sede.

Rev.mi secundus Consultor et Secretarius Ad. proponunt locutionem sequentem « erigendae sunt ubi id expedire videatur de iudicio Conferentiarum Episcoporum, audita Sancta Sede... ».

Secundum Rev.mum primum Consultorem non sufficit dicere tantum « audita Sancta Sede ».

Em.mus Cardinalis Praeses censem ultimum iudicium pro erectione Universitatum catholicarum a Sancta Sede pendere debere.

Rev.mus Secretarius Ad. censem discrimen faciendum esse in canone, secundum quod agitur: 1) de erectione a Sancta Sede facta; vel 2) de erectione a Conferentiis Episcoporum facta cum approbatione Sanctae Sedis. Non videt necessitatem in canone mentionem faciendi de Commissione peritorum internationali quam aestimat aliquando, non autem semper, consuli posse.

Exc.mus tertius Consultor animadvertisit, historice si res consideratur, Universitates conditas esse etiam proponente aliquo Episcopo vel Ordine religioso et approbante Sancta Sede, et ideo aestimat approbationem Sanctae Sedis sufficere.

Exc.mus sextus Consultor proponit ut ita dicatur: « ... erigendae tantum sunt ubi id expedire videatur de iudicio Episcoporum Conferentiae, audita Commissione peritorum internationali, approbante semper Apostolica Sede ». Animadvertisit quod secundum mentem Sacrae Congregationis, tum ad existentes Facultates in debito gradu (livello) conservandas tum ad novas condendas, opem conferre debent:

a) Conferentiae Episcopales: quae, iis omnibus auditis quorum interest, atque imprimis Facultatum vigentium Moderatoribus, necessitates propriae regionis examinant et aptas solutiones proponunt S. Congregationi pro institutione catholica.

b) Commissio quaedam internationalis: eius est — peritis viris regionum quarum interest auditis — condiciones Facultatum, sive iam vigentium sive novarum quae proponuntur, perpendere et propriam mentem cum S. Congregatione pro institutione catholica et iis quorum interest communicare.

c) S. Congregatio pro institutione catholica, quae, propositionibus consideratis tum Conferentiae Episcopalis tum Commissionis internationalis aliisque notitiis, quae utiles videantur, acceptis vel comparatis, oportunas decisiones profert.

Rev.mi secundus, primus ac quartus Consultores assentient textui a Rev.mo Secretario Ad. proposito, et non vident necessitatem mentionem faciendi in canone de Commissione internationali peritorum.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut post verba « sive de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis » ponatur locutio « approbante Sancta Sede ».

Em.mus Card. Praeses duplum animadversionem facit ad textum a Rev.mo Secretario Ad. propositum: 1) non intelligit valorem illorum

verborum « iudicium Sanctae Sedis »; 2) verbis « sive... sive » non statuit prioritas inter Sanctam Sedem et Conferentiam Episcoporum.

Ad primum respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod quaestio est ubinam Universitates possunt erigi; ergo agitur de iudicio, non autem de iurisdictione; quaestio est de loco erectionis, non de ipsa erectione aut approbatione.

Ad secundum respondet Rev.mus Secretarius Ad. proponendo sequentem textum: « ... iudicium de earundem (Universitatum et Facultatum) erectione opportunitate pertinet aut ad Sanctam Sedem aut ad Conferentiam Episcoporum, audita Sancta Sede, cuius praeterea est, ad normam can. 16, earundem erectionem approbare ».

Placet Em.mo Praesidi, qui etiam censet mentionem non esse faciendam in canone de Commissione internationali: hoc spectat ad regimen internum S. Congregationis.

Em.mus Praeses quaerit, si Ordo religiosus Universitatem erigere vult, cuinam facultas approbandi erectionem pertineat.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. facultatem approbandi Sanctae Sedi competere.

Quaerit iterum Em.mus Praeses, quid eveniat si Ordo religiosus Universitatem contra voluntatem Conferentiae Episcoporum erigere velit.

Respondet ipse Rev.mus Secretarius Ad. semper competere Sanctae Sedi facultatem non approbandi.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem canonem, qui probatur:

#### *Canon 19*

Quo Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum valore scientifico vere sint praestantes atque in variis terrae partibus apta ratione distribuantur, iudicium de earundem erectione opportunitate competit sive Apostolicae Sedis, audita Episcoporum Conferentia cuius interest, sive ipsi Episcoporum Conferentiae regionis, audita quidem Apostolica Sede, cuius praeterea est, ad normam can. 16, earundem erectionem approbare.

#### *Ad canonem 20*

Exc.mus sextus Consultor legit suggestiones sequentes a peritis S. Congregationis pro institutione catholica factas ad textum a Rev.mo Secretario Ad. propositum:

*Canon 20*

§ 1. Expungantur ultima verba « qui ibidem in scientiis sacris altiore ratione scientifica praeparentur ».

Ipsa enim videntur superflua, cum idea iam exprimatur in c. 15.

§ 2. Textus sic emendatur:

« Ordiniorum loci atque Facultatum est curare ut debite provideatur institutioni spirituali necnon formationi pastorali alumnorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sunt ».

*Ratio*

Responsabilitas curandi institutionem spiritualem et pastoralem concrenda esse videtur etiam ipsis Facultatibus, praesertim quando agitur de Facultate theologica, quae praebet institutionem ad sacerdotium. Ad hoc consequendum Facultates inire debeant consilia cum variis Seminariis, Collegiis, Convictibus, Religiosorum domibus (cfr. etiam *Normae quaedam*).

Ad § 1, admittitur suggestio facta. Proponente Rev.mo quarto Consultore, adduntur in paragrapto prima verba « Ordinarii aut Institutorum Superiores competentes... ».

Ad § 2, animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. formationem spiritualem non pertinere ad munus Facultatum.

Concordant omnes itaque ut accipiatur textus ut a Rev.mo Secretario Ad. propositus est, cum additione a Rev.mo quarto Consultore proposita. Textus ergo probatur sequens:

*Canon 20*

§ 1. Quatenus dioecesis aut Instituti religiosi vel saecularis, regionis ecclesiasticae, immo vel ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat, debent Ordinarii aut Institutorum Superiores competentes ad Universitates Facultatesve studiorum ecclesiasticorum mittere clericos et sodales indoles, virtute et ingenio praestantes.

§ 2. Ordiniorum est curare ut debite provideatur institutioni spirituali clericorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sunt, qui in Universitatibus Facultatibusve studiis incumbunt; eorundem Ordiniorum, sicut et Universitatum Facultatumve moderatorum et professorum est alumnorum formationi pastorali quoque prospicere.

*Ad canonem 21*

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat in textu S. Congregationis mutuam cooperationem inter propriam Universitatem et alias Universitates clare non affirmari et proponit sequentem textum:

« Curent Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum moderatores et professores ut propriam Universitatem Facultatemve inter et alias Universitates et Facultates, etiam profanas, mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent; curen etiam ut variae Universitatis Facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit praestent operam ».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco « profanas » dicatur « etiam non ecclesiasticas ».

Concordant omnes.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut ordo dicendi mutetur et in primis mentio fiat de mutua cooperatione in ipsa Universitate, postea autem inter varias Universitates.

Placet omnibus. Itaque textus erit:

« Curent Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum moderatores et professores ut variae Universitatis Facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam, utque propriam Universitatem Facultatemve inter et alias Universitates et Facultates, etiam non ecclesiasticas, mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent ».

## VI

## SCHEMA DICENDORUM « DE SEMINARIIS »

Haec pars Relationis, Seminaria respiciens, publici iuris iam facta est (cf. *Communicationes* 8 [1976] 108-122).

\* \* \*

In fine sessionis, determinatur materia in proxima sessione tractanda, scilicet:

1) recognitio canonum « de Seminariis »;

2) initium recognitionis canonum « de librorum censura ».

NICOLAUS PAVONI, *Actuarius*

## APPENDICES

## I

QUAEDAM MUTATIONES APPROBATAE IN TEXTU  
CANONUM « DE MAGISTERIO IN GENERE »  
PRIORIS SESSIONIS

*Canon 1322*

§ 1. Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret.

§ 2. Ecclesiae officium est et ius, independenter a qualibet humana potestate, omnes gentes evangelicam doctrinam docendi.

*Canon 1322 bis*

§ 1. Omnes homines, cum veritatem in iis quae sunt ad Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt querere teneantur, veritatem evangelicam veramque Ecclesiam, quam cognoscant, lege divina amplecti ac servare obligantur (Declar. *Dignitatis humanae*, n. 1).

§ 2. Ad amplectendam fidem catholicam a nemine unquam homines contra propriam conscientiam coactione adduci possunt (Declar. *Dignitatis humanae*, nn. 2, 4).

*Canon 1324*

Cum eis quae ab Ecclesia tamquam de fide divina et catholica credendis fidei obsequio adhaerendum sit, tenentur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias, immo et eas quae cum doctrina catholica non congruunt. Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quae ad proscribendas prohibendasque erroneas opiniones ferunt proprius Episcopus, Episcopi regionis et provinciae ecclesiasticae in Conciliis particularibus aut Episcoporum Conferentiis, speciali vero ratione quae edit Apostolica Sedes.

*Canon 1333, § 3*

Ad sermonem de doctrina christiana faciendum via radiophonica aut televisifica, serventur praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta.

*Canon 1335*

Ordinarii locorum religiosis qui a proprio Superiore proponuntur, sine gravi causa facultatem praedicandi ne denegent concessamque semel facultatem ne revocent.

*Canon 1338 § 2*

Ad praedicandum in ecclesia ne admittantur laici, nisi certis in adiunctis necessitas id requirat, aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta.

*Canon 1350*

Attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioecesani est de catechetica institutione tradenda:

1º normas statuere ut pueri ad sacramenta poenitentiae et confirmationis suscipienda utque ad SS. Eucharistiam primo recipiendam rite praeparentur.

## II

## CANONES APPROBATI IN HAC SESSIONE

## A

## « DE SCHOLIS »

*Canon 1*

Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inviolabile ad educationem proprio fini respondentem, christifideles, quippe qui per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti sint, ius habent ad educationem christianam qua ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur, atque simul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.

*Canon 2*

§ 1. Parentes, cum vitam filii contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur atque iure gaudent, et ideo primi et praecipui eorum educatores sunt agnoscendi; quare parentum christianorum etiam est educationem christianam filiorum curare.

§ 2. Parentum christianorum imprimis officium est propitium familliae ambitum, amore nempe erga Deum et homines animatum, curare, qui integrae filiorum formationi personali ac sociali faveat.

§ 3. Parentibus christianis officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis, eos participes facere, quorum opera formationi filiorum providere valeant, ideoque et eas eligere scholas in quibus iuxta locorum adiuncta et normas ab Episcoporum Conferentiis statutas, filiorum educationi christiana aptius prospiciatur.

§ 4. Parentibus omnibus cum ius competit fruendi subsidiis necessariis ut educationi filiorum provideant propriae conscientiae, parentibus christianis etiam ius est in gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eorum formatio christiana harmonico gressu cum profana progrediatur.

#### *Canon 3*

§ 1. Singulari ratione officium et ius educationis spectat ad Ecclesiam, quippe cui missio divinitus concredita sit viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, creditibus vitam Christi communicandi omnesque iugiter materna sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.

§ 2. Animarum pastoribus gravissimum est officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles praeprimis iuvenes fruantur.

#### *Canon 4*

Ecclesiae ius est operam suam adiutricem praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quae quidem ad patrimonium commune pertinent; imo, quantum adiuncta id requirant, ipsi est officium operam suam praestare ut eis tradatur haec formatio in disciplinis terrenis, quatenus cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint.

#### *Canon 5*

§ 1. Cum omnis vera educatio integrum persequi debeat personae humanae formationem, in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum commune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione partem habet, pueri et adulescentes ita excolantur oportet ut suas dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valeant, perfectionem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum adquirant et ad vitam socialem active participandam conformentur.

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua

iuvenes formantur atque ambitus socialis in quo vivunt, nendum eorumdem educationi christianaee obstent, eidem quam maxime faxeant, utque omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint.

*Canon 6*

Inter media ad excolendam educationem, christifideles magni faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis exercendo, praecipuo auxilio sunt.

*Canon 7*

Parentibus, quippe quibus primum et inalienabile officium et ius sit filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles solliciti esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscatur.

*Canon 8*

§ 1. Parentes, quantum sinant adiuncta, filios concredant scholis catholicis, scholis scilicet in quibus institutio traditur quae spiritu doctrinae christianaee, uti a Magisterio ecclesiastico definitur, sit imbuta, sive ab ipsa Hierarchia sint erectae, sive ab aliis sint conditae sed uti reapse catholicae ab eadem Hierarchia sint agnitae; quae scholae si deficiant, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianaee providetur, praesertim iis quae iure particulari, sive per conventionem Ecclesiam inter et societatem civilem inducto sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo dioecesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse.

§ 2. Si certis in adiunctis, de iudicio loci Ordinarii, parentibus licet filios educandos concredere scholis in quibus formationi eorum christianaee non provideatur, ipsi obligatione tenentur curandi ut pericula tali educationi inherentia avertantur utque extra scholas debite filiorum educationi christianaee prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiasticas latae.

*Canon 8 bis*

Episcoporum Conferentiis, atque, earundem praescriptis attentis, locorum Ordinariis competit normas edicere, territorii sui condicionibus aptatas, quibus officia definitur parentum quibus, certis in adiunctis, filios scholis non catholicis concredere licet.

*Canon 9*

Christifideles omni ope eniti tenentur ut in societate civili leges quae iuvenum formationem ordinant, educationi eorum religiosae et morali quoque, iuxta parentum conscientiam, in ipsis scholis prospiciant.

*Canon 10 (1375)*

Ecclesiae ius est scholas cuiusvis disciplinae, elementarias scilicet et medias, atque superiores, etiam Universitates et Facultates, condendi.

*Canon 11 (1379)*

§ 1. Si praesto non sint, quae ab incoeptis privatorum aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus educatio tradatur christiano spiritu imbuta, Episcoporum praesertim est curare ut condantur.

§ 2. Ubi id expedit, Ordinariorum locorum est, attentis normis, si quae habeantur, ab Episcoporum Conferentia statutis, curare ut illae condantur scholae, spiritu christiano imbutae, quae pro temporis adiunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas profesionales et technicas nuncupant.

*Canon 12 (novus)*

§ 1. Curent scholarum catholicarum moderatores atque advigilent Episcoporum Conferentiae et locorum Ordinarii ut institutio quae in iisdem tradatur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica sit praestans.

§ 2. Locorum Ordinarii solliciti quoque sint scholarum non catholicarum sui territorii, curantes praesertim ut qui ad religionis institutionem in iisdem deputentur magistri, zelo, doctrina et arte paedagogica sint praestantes.

*Canon 13*

§ 1. Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuventutis religiosa catholica quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferentiarum et locorum Ordinariorum est eandem ordinare atque in eandem invigilare.

§ 2. Locorum Ordinariis competit ius invigilandi et invisendi scholas catholicas in suo territorio sitas, etiam eas quae a religiosis conditae

sint et dirigantur; eisdem etiam competit praescripta edere quae ad generalem attinent ordinationem scholarum catholicarum; quae praescripta etiam valent de scholis quae a religiosis, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorundem quoad internum earum scholarum moderamen autonomia.

§ 3. Episcoporum Conferentiis atque locorum Ordinariis quoque competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem formationem christianam populi Dei pertinent, ea quoque quae religiosorum exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis socialis, quatenus ad formationem christianam impertendam adhibeantur.

*Canon 14 (1381 § 3)*

§ 1. Episcoporum Conferentiis pro scholis interdioecesanis sui territorii, locorum Ordinariis pro sua cuiusque dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur.

§ 2. Eorundem similiter est libros ad religiosam institutionem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirendi ut removeantur.

§ 3. In institutione religiosa tradenda serventur praescripta statuta in Directorio totius Ecclesiae et in directorio alicui regioni proprio.

B

CANONES RECOGNITI « DE UNIVERSITATIBUS IN GENERE »

*Canon 22*

Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur scientiae profanae, quippe quae ad hominum bonum commune ideoque ad eorundem bonum spirituale quoque conferant, quaeque praeterea, ad profundorem rerum cognitionem cum adlaborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant.

*Canon 23*

Nulla studiorum Universitas nomen « Universitatis catholicae » gerat, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta sit, aut cui nomen « Universitas catholica » ab eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia, audita Apostolica Sede, concessum sit.

*Canon 24*

Ubi, attentis omnibus adjunctis, id fieri possit et expedire iudicaverint, Episcoporum Conferentiae current ut habeantur Universitates in quibus variae disciplinae, servata quidem earum legitima autonomia, ita tradantur ut universalis praesentia efficiatur mentis christiana in toto culturae altioris promovendo studio (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

*Canon 25*

Ut theologica inquisitio aptius cum quaestionibus cuique temporis propriis connectatur atque hominibus variarum disciplinarum excultoribus ad pleniores fidei quoque scientiam auxilio esse valeat, current Episcoporum Conferentiae ut in Universitatibus catholicis, immo, ubi id expeditat et fieri possit, etiam in aliis Universitatibus, erigatur Facultas S. Theologiae aut Institutum vel saltem Cathedra S. Theologiae, in qua lectiones pro laicis quoque tradantur (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

*Canon 26*

In Universitatibus et Facultatibus omnibus quae ab Ecclesia dependent, solliciti sint Universitatum Moderatores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientificae libertate excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur, ita ut etiam altius perspici possit qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 36).

*Canon 27*

Current Universitatum catholicarum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates sibi invicem praestent operam, utque, ad universae hominum communis bonum, amplam foveant cum aliis Universitatibus cooperationem, in conventibus internationalibus participando easque promovendo, in scientificis per vestigationibus cum aliis collaborando, magistros ad tempus permutando atque alia quae ad maius scientiarum incrementum conferre possint media provehendo (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 12).

*Canon 28*

Provideant Episcoporum Conferentiae regionis atque locorum Ordinarii ut christifidelibus adultis quoque praebetur possilitas ad profun-

diorem in religione christiana consequendam institutionem, ideoque ordinentur lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, condantur scholae superiores vel academie scientiarum religiosarum, in quibus nempe docentur disciplinae theologicae aliaeque quae ad culturam christianam pertinent.

*Canon 29*

Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad pleniorum veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius propagetur et ab hominibus reapse recipiatur.

C

SCHEMA CANONUM DE UNIVERSITATIBUS  
ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM

*Canon 15*

§ 1. Magni facit Ecclesia Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum, quae scilicet fines persequuntur disciplinas sacras vel cum sacris connexas altius pervestigandi, atque alumnos in iisdem disciplinis scientifice instituendi.

§ 2. Cultus ac promotio scientiarum ecclesiasticarum prorsus modo fieri debet, methodis cuiusque disciplinae rite servatis atque idoneis auxiliis adhibitis, adeo ut profundior in dies Revelationis intellectus obtineatur, patrimonium sapientiae christiana plenius aperiatur, quaestionibus a doctrinarum progressu exortis respondeatur atque dialogus etiam cum fratribus seiunctis, cum non christianis et cum non credentibus foveatur (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 11).

§ 3. Altior alumnorum institutio obtainenda est praecipue directa fontium cognitione, investigationibus aliorumque laborum scientificorum usu, ita ut ipsi habiles fiant qui scientiam provehant atque tradant.

*Canon 16*

§ 1. Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum constituitantur possunt erectione a Sancta Sede facta aut approbatione ab eadem concessa.

§ 2. Singulae Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum, etiam quae sub moderamine sunt cuiuslibet instituti religiosi vel saecularis, sua habere debent statuta, ab Apostolica Sede approbata.

*Canon 17*

Gradus academicos, qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest nisi ex facultate a Sancta Sede concessa.

*Canon 18*

Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum suam habeant studiorum rationem, quae determinatur ab Apostolica Sede aut, servatis quidem normis ab eadem statutis, ab Episcoporum Conferentia.

*Canon 19*

Quo Universitates Facultatesque studiorum ecclesiasticorum valore scientifico vere sint praestantes atque in variis terrae partibus apta ratione distribuantur, iudicium de earundem erectionis opportunitate competit sive Apostolicae Sedi, audita Episcoporum Conferentia cuius interest, sive ipsi Episcoporum Conferentiae regionis, audita quidem Apostolica Sede, cuius praeterea est, ad normam can. 16, earundem erectionem approbare (Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

*Canon 20*

§ 1. Quatenus dioecesis aut Instituti religiosi vel saecularis, regionis ecclesiasticae, imno vel ipsius Ecclesiae universae bonum id requirat, debent Ordinarii aut Institutorum Superiores competentes ad Universitates Facultatesve studiorum ecclesiasticorum mittere clericos et sodales indole, virtute et ingenio praestantes (Decr. *Optatam totius*, n. 18; Declar. *Gravissimum educationis*, n. 10).

§ 2. Ordinariorum est curare ut debite provideatur institutioni spirituali clericorum, maxime qui sacerdotio nondum aucti sint, qui in Universitatibus Facultatibusve studiis incumbunt; eorundem Ordinariorum, sicut et Universitatum Facultatumve moderatorum et professorum est alumnorum formationi pastorali quoque prospicere (Decr. *Optatam totius*, n. 18).

*Canon 21*

Curent Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum moderatores et professores ut variae Universitatis facultates mutuam sibi, prout obiectum siverit, praestent operam, utque propriam Universitatem Facultatemve inter et alias Universitates et Facultates, etiam non ecclesiasticas, mutua habeatur cooperatio, qua nempe coniuncta opera, conventionibus, investigationibus scientificis coordinatis aliisque mediis, ad maius scientiarum incrementum conspirent (*Declar. Gravissimum educationis*, n. 12; *Const. past. Gaudium et spes*, n. 62).

